

P V I S

1 6 1 8

- I. *Caroli de Casu Mirabili ad Academiæ.*
- II. *Simonis Stenii Dialogi duo Græcè conscripti.*
- III. *Orator dua: una de Consensu Theologiae Lutheri cum Cetera Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.*
- IV. *Pietri theses de Peccato Originali.*
- V. *Samuelis Porisii de Invidia.*
- VI. *Orationes Septem à Johanne Pseffingero et Henrico Salmutho in commendatæ Rectorum Lipsiensium habita.*
- VII. *Oratio Funeris de Augusto Saxonia Electore, Furmani.*
- VIII. *Oratio de Vita Christiana.*
- IX. *Oratio Chrysostomi de Exortio Viri Latine reddita.*
- X. *Davidis Viti de Justitia et Bonis Operibus.*
- XI. *Oratio Auleantia quæ ad Mtra. Augustinum contra Es. Audientes.*
- XII. *Tosam theses de Pelagianismo.*
- XIII. *Aschi oratio in actu Magistris habita.*
- XIV. *Futteri Laudatio Funeris Christophori II. Electoris Saxonie.*
- XV. *Episcopi Synopseos Mulsiana de Comœdia. Hispanica.*
- XVI. *Miti Vituperatio & Laudatio Cetera.*
- XVII. *Indicium sicut Conjugis D. Tassenbayeri.*
- XVIII. *Oratio M. Aemilii Porti in Actu Magistris.*
- XIX. *De Studiis Tevitarum Abstrusioribus.*
- XX. *Gedici. De Senso Sexus Muliebris.*
- XXI. *Hopfneri Oratio Funeris Lysero habita.*
- XXII. *Chytræ de Pœtica Avimii Translittata.*

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

NJ 34

IX.

Le 3521
7

DIONIS CHRYSOSTOMI
de Exercitio dicendi

ORATIO

Latine reddita à IOANNE POTINIO.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius


Mense Nouembri.

Anno cIs. Is. VC.

AD RVDIGERVM A MONNICHOVV,
Iuuenem nobilissimum.

2
AErio quondam nemorosi in vertice Peliū
Quæ Graiūm docuit generoso sanguine cretos
Phillyrides, terræq; situs, cæliq; meatus,
Abdita naturæ, radicum in vulnera vires,
Increpuisse fides digitis, & voce sonora
Accinere heroon imitantes splendida facta:
Dein pedites in equisūe ferarum sternere gentem,
Intrepida pinum dextra torquere minacem:
Rem ferro gerere, atq; adoriri cominus hostem:
Haud temerare fidem, castum seruare pudorem,
Ex animo fari, nec amicum fallere verbis.
Virtutem in primis numerare, in vilibus aurum,
Fasces imperij & vitam censere minoris,
Res fulcire domi, à populo depellere pestem.
Hæc eadem teneris Tritonia te quoq; ab annis
Antehac attentum docuit, te exinde docebit.
Huc ad nos nec enim, Monichouū, quâ nubifer alto
Bruçterus aduersi lætis in vallibus Elmī,
Respicit Aonias arces, turrimq; Mineruæ,
Accesti frustra: sit testis Iulia pubes:
Non aurum tibi, non perijt labor, aureaūe ætas.
Multa etenim gaza benè cultæ mentis onustus,
Nobile carpis iter: seu celsas ire per Alpes,
Seu lustrare paras Galli florentia regna.
Quò libet, i felix, patriæ rediture salutē:
Tu pede, tu, nec enim fallor, constante sequeris
Grandibus heroas factis ac laude perenni.

Joannes Caselius.



3

NOBILISSIMO DN. RVDIGERO A MONNI-
CHOVV, Equiti Pomerano S.D.

NOb. Dn. Rudigere: Semper te magni feci-
mus familiares, cum ob eximiam naturæ bo-
nitatem, qua præditus es, tum ob singulare
virtutis & doctrinæ studium. Rectè igitur sub abitum
tuum quisq; operam damus, ut nostræ in te benevolen-
tiæ singularia argumenta appareant. Qua de re mihi
potissimum cogitandum intelligo. Nec enim solum me
dilexisti, sed & de utilitatibus meis dispexisti sedulo,
ut plus quam cæterorum quisquam tibi me debere pro-
fitear. Quod si huic loco convenire iudicarem, multis
verbis prædicarem istud beneficium tuum, qui gratum
meum in te animum, & observantiam, qua te prose-
quor, tibi testatam velim. Tu verò nolis à me institui
commemorationem laudum tuarum, ijs, quas ad te da-
rè, litteris, quæ præsertim et ab alijs legerentur: nec ego
id facere debeam, cum illa in os laudatio & meritò su-
specta sit, & indecora utriq; esse videatur. Neque
quisquam ignorat familiarium, quanta cum laude in
omni studij sapientiæ genere versatus sis; quin acade-
miæ nuper innotuit, quantum in eloquentiæ quoq; stu-

A 2

dio

4
dio diligentia posueris, quando puro & eleganti dicen-
di genere, cum admiratione omnium, de amicitia, præ-
clarè perorantem audiuimus. Neq; aliter sanè à te ex-
spectaueramus, quem optimos dicendi magistros & o-
ratores, cùm latinos, tùm verò grecos cognouisse &
imitari solere nouissemus. In quo studio te minime
falli, sed recta potius via ingredi, ex breui oratione
Dionis recognosce, si libet. Tibi enim eam ab initio
destinaui. Neminem enim inueniebam, cui tale quid-
dam deberem, aut eam rectius inscriberem. Quæ tua
est humanitas & in me beneuolentia, studium meum
probabis, & absens absentem porrò amare non desi-
nes; id quod, si pateris, maiorem quoque in modum à
te peto. Vale. Helmaestadij, in acad. Iulia. 7 d. No-
uemb. cl. l. VC.

Ioannes Potinius Verdensis.

DIONIS



DIONIS CHRYSOSTOMI DE

Exercitio dicendi

ORATIO

Latine reddita à Joanne Potinio.

SAE penumero equidem prædicaui mores tuos, ut boni viri, & digni, qui primum inter optimos locum teneat: nunquam verò antea admiratus fui, sicut in præsentia. Cum enim in ipso ætatis flore sis, & potentia cedas nemini, omniumq; rerum copia affluas, ut cum interdiu, tum noctu quibuscunq; delicijs indulgendi tibi potestas sit: eruditionis tamen etiamnum teneri te desiderio, atq; ad dicendi peritiam consequendam omnibus contendere viribus, nec vllum socordix locum relinquere, si labor subeundus sit; ad primè id mihi generosi animi, neq; honoris solum cupidi, sed sapientix studio prorsus flagrantis opus esse videtur. Etenim ex veteribus præstantissimi, non ætate solum florere se, sed senes etiam discentes fieri dicebant. Tu vero omnino mihi videris sapere, qui, in rep. versanti viro peritia dicendi, & facultate opus esse existimas. Ut etenim omnibus carus sis, & potentia multum valeas, ut afficiaris honoribus, neq; in nullo pretio sis, maximam partem hinc ea proficiscitur utilitas. Cui namq; metu perculsi confidunt potius homines, quàm orationi? qua alia re feroces, & qui efferuntur superbia, in viam reducuntur, & corriguntur? qua alia re permouentur, à cupiditatibus, ut abstineant? quem, quæso, moni-

6
monitorem æquiore ferunt animo? nonne eum, qui oratione auditorem oblectet? Sæpe itaq; in ciuitatibus videre est, cum quidem qui alijs erudiendis præsent, tum qui gratificentur amicis, deniq; qui templa deorum donarijs exornent: eorum verò ipsorum quasi auctores etiam prædicari, in quibus dicendi facultas est. Quare & poëtarum vetustissimi, quiq; à dijs poësin acceperant, robore & pulchritudine præditos nequaquam deorum dixerunt videri similes, sed qui dicendo valerent. Quando quidem verò & hæc probè cognouisti, & re ipsa præstare aggredieris, colaudo ego te & admiror: neq; vulgarem de me habeo gratiam, quem ad cogitationem hanc tuam & institutum vtilem tibi arbitratus es. Hucusq; enim quidem, vt veterum dixit aliquis, sibi se esse malum vatem, & ego mihi in orationibus sufficere putavi, atq; vix hoc etiam. Tu verò impellis me, mihiq; vt ausim, persuades, si, qui iam in doctrinæ studio quamplurimum profecit, & ea ætate viro vsui esse possum. Possim verò fortassis, quemadmodum iter facienti robusto admodum & florenti ætate viatori, puer, vel senex quispiam, interdum pastor compendiarium vel regiam viam monstrat, quam antea non nouerat. Sed ne longior sim, antequam ad rem ipsam venio, nunc quæ iussisti, aggrediar. Adolescenti quidem vel iuueni, qui ad res gerendas accedere, & exercitationi incumbere, atq; facultatem dicendi comparare sibi in animo habeat, alijs rebus & institutis opus est. Tu verò neq; rei imperitus es, neq; ab agendo abesse poteris, neq; iudiciali facultate indiges & vehementia, sed quæ politico simul digna est & sufficit. Atq; hoc quidem te primum scire velim, labore & defatigatione minime tibi opus esse. Qui crebro etenim sese exercuerit, illum iuuant hæc quamplurimum: qui verò ex interuallo ad rem accedat, conturbant ei animum, & focor-

7
focordem efficiunt, quo minus quid proficiat: vt si corporis exercendi insolentes grauioribus quis defatigarit exercitijs, imbecilliores ipsos reddiderit. Verùm vt laborum infueti remissione potius corporis & modico motu, quàm grauiore exercitatione indigent: ita tibi in dicendi studio commixta potius voluptate, quàm crebris exercitijs & labore opus est.

Ex poëtis verò quidem tibi auctor sim, vt Menandrum comicum non negligenter in manibus habeas, & Euripidem tragicum, eosq; , (cum alij hanc legendi rationem ignorent) potissimum quidem, & cum voluptate, vel saltem sine molestia, agas. Plus enim utilitatis inde capies, etiam vbi te legendo satis occupaueris. Atq; sanè nemo sapientum me reprehendet, quòd veteri comœdiæ, Menandri præferam, vel tragicis veteribus, Euripidem. Neq; enim medici sumptuosissimos cibos præscribunt cura indigentibus, sed qui ad sanitatem recuperandam vtilis sint. Magni verò laboris foret explicare, quæ ex hisce capiuntur commoda. Ipsa enim Menandri cùm omnium morum imitatio, tum venustatis etiam & elegantia, vniuersam vim superauit comicorum veterum. Euripidis autem perspicuitas, & persuadendi facultas tragico officio & dignitati, omni ex parte, fortassis non satisfecerit, remp. verò administranti prorsus utilis est: mores præterea quoque & affectus mirificè exprimit, & sententias ad omnia vtilis poematis suis immiscet, quod philosophiæ non ignarus esset.

Homerus verò, & medius, & vltimus, & primus, omni puero, & viro, & seni, tantum de sese largiens, quantum quisq; accipere potest. Carmina verò, & elegiæ, & iambi & dithyrambii otio abundantem quidem in maximo pretio habenda sunt, verùm qui agendo eadem opera & in actionibus

8 nibus & in dicendo proficere cogitat, nullum prorsus huic ad eiusmodi fuerit otium. In historicis autem, singulari cum diligentia, versari politicum, multis de causis necesse est. Namq; , vt de oratione hinc informanda nihil dicam, vt rerum gestarum peritus sit, & omnium, quæ non solum certis & euentibus de causis, sed etiam præter rationem interdum hominibus & ciuitatibus eueniunt, cum primis politico necessarium est, & quicumq; ciuitatis res gubernare in animum inducat. Qui enim, quæ alijs euenerunt, plurima cognouit, optimè perficiet, quæ ipse agenda suscipit, & exemplis inde petitis minus aberrabit; neq; , si fortuna vtatur secunda, præter modum gaudebit, & quasvis aduersitates generoso animo perferet, quòd cum rebus secundis floreret, meditabatur tamen etiam animo earum vicissitudinem. Herodotum igitur quidem, quando tibi satis temporis fuerit, magna cum animi tranquillitate, in manibus habebis. Remissa enim illa & mollis expositio suspicionem aliquam parit, fabulosum magis opus esse, quàm historicum. Ex principibus verò Thucydides mihi esse videtur, & qui secundum ab ijs locum tenent, ex eorum numero Theopompus. Historicum enim quiddam in exponendis orationibus habet, neq; nihil prorsus, neq; parum in perspicuitate valet, neq; in verbis adeo abiecta humilitas est, vt molestiam tibi creet. Ephorus autem multam quidem historiam prodit, sed supina illa, & remissa expositio minimè tibi conuenit.

Oratorum autem quis ignorat optimos, atq; Demosthenem quidem omnes facultate elocutionis & granditate sententiæ verborumq; copia superasse alios? Breuitate verò, & simplicitate, & continua sententiæ serie, multaq; granditate Lysiam? Verumtamen vt multum in his occuperis, tibi non suadeã, sed in Hyperide magis & AEschine.
Horum

9
Horum enim in dicendo facultas simplicior est, possitq; ar-
tificium orationis deprehendi facilius, neq; pulchritudi-
ne verborum prioribus cedunt. In Lycurgo verò etiam, vt
verferis, tibi auctor sim, quòd & facilior est, & in sermone
morum quandam præ se fert simplicitatem. Hoc loco
porrò oportere arbitror (etiamsi qui in hanc adhortatio-
nem inciderit, de nimis exquisito consilio nos reprehen-
surus sit) neq; recentiorum te ignarum esse, & qui supe-
riore sæculo vixerunt. Dico autem Antipatri, & Theodo-
ri, & Plutionis, & Cononis, & eiusmodi orationes. Ho-
rum enim facultates eousq; nobis etiam vsui sunt, quoad
ijs cognoscendis mentem non mancipauerimus, vt anti-
quis. Cum enim non nihil in istorum orationibus possimus
reprehendere, potissimùm ad eos nos conferre audemus:
quin libentius quis cum eo contendit, quo, si ambo com-
parentur, non inferiorem se, interdum etiam meliorem
visum iri, sibi persuasum habet.

Nunc verò ad Socraticos me conuertam, quos ad pri-
mè sanè cuiq; necessarios esse autumo, qui ad dicendi fa-
cultatem adspirat. Veluti enim nullum obsonium, absq;
sale, palato gratum est, ita nullum quoque orationis
genus auribus iucundum mihi esse videtur, quod Socrati-
cæ elegantia prorsus sit expers. Cæterorum autem qui-
dem laudationem instituere longum foret, & multi labo-
ris, in ijsq; legendis occupari, singulare quidpiam est. Xe-
nophontem verò ego in rep. versanti viro etiam solum ex
veteribus sufficere posse arbitror, siue in bello quis ducat
exercitum, siue ciuitatis res administret, siue ad plebem o-
rationem instituat, siue in senatu, neq; vt orator solum, sed
vt ciuiliū etiam rerum peritus, & regius adeo vir, quæq;
huiusmodi personæ conueniunt, in iudicio explicare ve-
lit; ad omnia hæc, mea quidem sententia, Xenophon om-
nium

10

annium optimus, & maximè utilis est. Namq; & sensa ani-
mi eius perspicua sunt & simplicia, & omnibus videntur
facilia: ipsa verò orationis forma suauitatis plena est & e-
legans, quæ facilè fidem faciat, & facilè fidem reperiat,
& magnam deniq; venustatè & acumen habet, vt non solū
in orationibus mirificè valere, sed astutè quoq; in audito-
ris animum illa vis irrepere videatur. Quod si igitur com-
mentarium illius de expeditione singulari cum diligentia
cognoscere volueris, nullam orationum eius generis, quas
tu habere poteris, reperiēs, quin ibi comprehendatur, &
canonis quoq; rationem illi præbeat, qui omnia ad eum
dirigere & imitari velit. Siue enim, qui animo profus cō-
ciderint, animum ijs reddere remp. administranti viro,
idq; sæpius vsu venit, vt hoc instituere oporteat, ostendit:
siue impellere & adhortari quempiam, nemo omnium, qui
græcum modò sermonem intelligat, non vehementer sua-
lorijs Xenophontis orationibus accendatur (ego profectò
animo commoueor, & lachrumo interdum, quando in e-
iusmodi negotijs tales orationes lego) siue magni elatiq;
animi hominum consuetudine quis prudenter vti deside-
ret, ne quo ab indignantibus afficiatur incommodo, neq;
mentem tamen suam præter dignitatè ijs mancipet, & ni-
hilominus omni ex parte grata faciat, & hæc ijsdem com-
prehenduntur. Atq; vt secretis vti sermonibus conueniat,
& ad belli duces, ne emanent ad omnem exercitum, & ad
exercitum, eodem pacto, vt regiè etiam quodammodo ser-
monem cum alijs instituere eosq; fallere, hostes quidè da-
mno, amicos verò utilitate: vt temere turbatis, sine dolore
animi, & bona fide, veritatem exponere conducat, vt mini-
mè facilè fides habenda potentioribus, & quibus potētio-
res in fraudem ducunt, quibus in potestatem suam hostes
redigunt, & rediguntur ab hostibus homines: omnia hæc,
vt

71
vt nihil desideres, abunde hoc opus complectitur. Quia enim, vt opinor, orationes rebus commiscuit, quas non auditione ab alijs accepit, neq; imitatus fuit, sed quibus gerendis ipse interfuit simul, & habuit, maximè veritati consentaneas reddidit, cum passim in commentarijs suis omnibus, tum verò in hoc potissimum, cuius iam iam mentione fecimus, atq; te scire velim, nequaquam futurum, vt operæ te ei impensæ pœniteat: verum & in senatu, & in concione, manum tibi virum præbere deprehendes, si cupidè & summo studio in illo cognoscendo versaberis. Scribendi verò quidem tibi auctor non ero, vel ex magno saltem interuallo: sed dictandi potius. Primum etenim facilius dicitur, quam scribitur, qui sese in dicendo exercet: deinde minore hoc cum labore fit: deinde ad facultatem quidè comparandam minus facit, quam si scribat; plus autem ad habitum. Neq; verò tã grandia opera te conscribere iubeo, vt in scholis faciunt, sed in quibus cum voluptate fueris, Xenophontèis maximè, eorum nonnullis vt contradicas orationibus, vel alio ipsas modo commutes, atq; sub incidè etiam reuoces, si meminisse modò quædam ex illis tibi facile fuerit, multò melius est. Namq; & elocutionis genere, & exquisitis sententijs exprimendis omnino tibi istas familiares reddis. Non dico verò, vt vniuersum aliquod opus concinnes, vt pueri, sed quod valdè tibi placuerit, illud vt retineas. Quamplurima de hoc adolescenti scripsissem: tibi autem hæc illa sufficiunt. Etenim si paucissima quoq; hinc excerpseris, magno tibi vsui fuerint, sin difficulter, & cum tædio laborem subeas, non omni ex parte necessarium, quod consilium mihi ipsi longius produxisse videor. Tu verò in caussa, qui mihi persuasisti, atq; ad illud adhortatus es. Vt enim in arte luctandi præstantiores imbecillioribus cedendo interdum persuadent, vt robustiores se esse rean-

reantur, ita tu quoq; quæ rectius intelligis, ea ut scribendi minus perito cōmisisse mihi videris. Velim autē, si tibi idē gratum sit, ut vnā aliquando simus, quo & legēdis veteribus, & disputationibus de huiusmodi habitis alicuius frugifiamus. Ut enim pictoribus & statuarijs satis non est, si saltem indicent, tales colores esse oportere, talesq; lineas, sed maximē cōducit, si quis artifices vel pingentes vel fingentes ipsos viderit: atq; ut qui pueros exercent, magistris non sufficit, si omnē luctandi rationē doceant, sed tyroni ostendant etiā necesse est: ita in talibus quoq; consilijs maiorē utilitatē capiat, qui actiones illius intuitus sit, à quo cōsiliū accepit. Quare & ego, si te audiēte legere me oporteat, nullum equidem utilitatis tuæ causa laborem subterfugiam, quòd & te amo, & de magno honoris studio admiror, atq; de honore, quo me prosequeris, gratiam habeo.

F I N I S.



Ge 133

ULB Halle 3
002 178 605




Sb.

[Handwritten signature]

[Handwritten mark]





ali-
ter
ec-
uid
ces-
ces-
est
sin-
espi
orie
lul-
tes,
nis
tio
ca-
v.

DIONIS O
de Exer

Latine reddita à IO



HELM
Excudeba
Mer
Ann

3521
7

